

nesta. Hi sunt fontes, qui irrigare pecuniam valent, eanique fecundam reddere. Neque item negatur, posse multoties pecuniam ab unoquoque suam per alios diversae prorsus naturae a mutui natura contractus recte collocari, & impendi. Perpendenda sunt, haec verba: per alios diversae prorsus naturae a mutui natura contractus. Ut contractus sint iusta lucranda causa, & ab omni usura immunes, suam naturam, seu essentiam prorsus a mutui natura diversam habeant, necessum est. Quibus verbis

rejjicitur Error gravissimus non paucorum Juniorum, qui in ipsius mutui natura contractus, aut innominatos, aut implicitos commenti sunt, ut evidentius mox dicemus, dum explicabimus textum Epistolae num. v. positum. Duobus constitutis articulis obstruuntur orationum, qui clamant, sublatis usuris, otiosam remanere pecuniam, viamque lucranda clausam esse. Duobus quoque rejectis erroribus, doctrina adversus usuram perspicua fulget, & tuta consistit.

## C A P U T III.

Quemadmodum vero in tot ejusmodi diversis contractuum generibus, si sua, cujusque non servatur aequalitas, quidquid plus justo recipitur, si minus ad usuram, (eo quod omnem mutuum tam apertum quam palliatum absit) at certe ad aliam veram injustitiam, restituendi onus pariter afferentem spectare compertum est: Ita si rite omnia peragantur, & ad justitiae libram exigantur, dubitandum non est, quin multiplex in iisdem contractibus licitus modus, & ratio sustentat humana commercia, & fructuosam ipsam negotiationem ad publicum commodum conservandi, ac frequentandi. Absit enim a Christianorum animis, ut per usuras, aut similes alienas injurias florere posse lucrosa commercia existiment, cum contra ex ipso oraculo divina discamus, quod *justitia elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum.* Prov. 14.

## §. UNICUS.

*Sape in contractibus vitium injustitiae serpit, quamvis nulla usura est.*

I. Duo facilia, & cuique pervia confirmat Pontifex Summus. Alterum est, quod tamen contractus a mutuo distincti sint natura sua justis, & honestis: tamen, si aequalitas non servetur, non usurae, sed injustitiae cri-

men committitur. Vulgaris error est, quodlibet contractuum vitium usurae malitiam continere. Qui error nimium crassus est. Quando in contractu aliquo includitur mutuum, aut apertum, aut palliatum, & vi ejusdem lucrum percipitur, tum usurae flagitium perpetratur. Contra, si mutuum nullum sit, & aequalitas non servetur in contractu, tum non usura, sed injustitia committitur. In vero contractu emptio- nis, aut venditionis, si leges justis pre-

tit

iii non servas, injustus, non scenerator evadis. In contractu verae, non fictae societatis, jura aequalitatis si laedis, injustitiae, non usurae reus haberis. Plus justo locas domum, agrum &c. Injustus, non usurarius es. Ubi enim non est mutuum expressum, aut implicitum, usura esse nequit. In aliis contractibus, alioquin natura sua honestis, licitisque, aequalitas non servatur inter mercem, & pretium, inter industriae, & pecuniae valorem; & injustitiae, doli, fraudesque frequenter occurrunt. Quamobrem Summus Ecclesiae Pastor, non modo ab usurae scelere, sed a cujusque injustitiae vitio servare gregem suum magnopere cavens, postquam,

in quo situm usurae vitium sit, patefecit, subdit continuo, cavendum similiter esse ab injustitiae criminibus. Haec facilia sunt, nec egent Interprete.

II. Alterum, quod consequitur, est, contractus natura sua justos, honestosque satis esse ad commercia peragenda, ad negotiationem exercendam. Quo documento Pontifex errores illorum convellit, qui disseminare in vulgus audent, consistere mercaturam haud posse, sublatis moderatis usuris a mercatoribus divitibus exactis. Quem quidem errorem ego refellam infra. Nolo enim nunc Commentarii filum arumpere.

## C A P U T IV.

## TEXTUS EPISTOLAE PONTIF.

Attamen pietatis vestrae studium, ac religionem inflammantem existimamus, ut haec, quae subjicimus, executioni demandatis.

## §. I.

*Documenta quaedam, quae exequenda diligentissime admonet Pontifex Summus, brevissime exponuntur.*

I. Paululum hic decretalis Epistolae ordinem inverto. Textum sub num. v. positum, qui princeps est, majorisque momenti, ultimo loco explicandum existimo. Aperit enim viam

ad amplissimam disputationem adversus *Errorem Casuisticum* plene exponendum. Nil interim Epistolae istius inditum praeteribo. Solum quae minoris momenti, & intellectus facilioris sunt, prius expono, ut liber postea campus pateat ad alterum, post *Dogmaticum punctum* jam explicatum, articulum capitalem tractandum. Documenta autem, quae, ut executioni demandentur, Pontifex Summus hortatur, sunt sequentia.

TEX-

## TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

„ Primum gravissimis verbis Populis vestris ostendite, usuræ labem,  
 „ ac vitium a divinis Litteris vehementer improbari. Illud qui-  
 „ dem varias formas, atque species induere, ut Fideles Chri-  
 „ sti sanguine restitutos in libertatem & gratiam, rursus in ex-  
 „ tremam ruinam præcipites impellat. Quocirca si pecuniam  
 „ suam collocare velint, diligenter caveant, ne cupiditate  
 „ omnium malorum fonte rapiantur, *sed potius ab illis, qui*  
 „ *doctrinæ, ac virtutis gloria supra ceteros efferuntur, consi-*  
 „ *lium exposcant.*

## §. II.

*A Sanctis Patribus, & iis Theologis, qui doctrinæ, & sanctitate splendent, consilium in his potissimum controversiis capiendum esse docet Pontifex Sanctissimus.*

I. Dignum Sapientissimo Pontifice BENEDICTO XIV. monitum. Gravissimam moniti rationem præmittit. Gravi atque ferventi oratione Fidelibus inculcandum a sanctis Pastoribus est, quanta severitate in sacris Litteris usuræ scelus improbetur. Sed de hoc potissimum instruendos populos admonet; videlicet usuræ vitium sæpenumero larvatum incidere. Cupiditas quippe divitiarum, omniumque malorum origo, veluti Magistra quædam docta, atque versuta, fucos, technas, coloresque in dies excogitat, quibus usuræ deformitatem occultet, formamque eidem affingat venustissimam. Mens humana facile his lenociniis seducitur, ut vitium in virtutem transformatum amplecte-

tur. Fallacias istas, atque cavillos internoscere difficillimum est. Quocirca (inquit Pontifex) si pecuniam suam collocare velint, diligenter caveant, ne cupiditate omnium malorum fonte rapiantur. Porro ut has fallentis cupiditatis artes, insidiasque dignoscere fideles possint, illorum Doctorum, qui sanctitatis, non secus ac doctrinæ gloria fulgent, sententias amplectantur, inquit Pontifex Summus his verbis: *Sed potius ab illis, qui doctrinæ, ac virtutis gloria supra ceteros efferuntur, consilium exposcant.* Heinc rejectus error est Caramuelis, aliorumque asserentium fidei dogmata a Veteribus, a Junioribus vero morum regulas hauriendas esse. Inquit Caramuel Theolog. fundament. n. 1330. edit. Lugd. *Se in omnibus plus rationi, & dialecticæ, quam authoritati detulisse.* Plura in confirmationem Pontificii documentum afferre possem: verum quia hoc idem infra repetitur, & nos deinceps de eodem verba facturi sumus; idcirco nunc a pluribus recensendis superfedeo.

TEX-

## TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

„ Secundo loco, qui viribus suis, ac sapientiæ ita confidunt, ut  
 „ responsum ferre de iis quæstionibus non dubitent ( quæ ta-  
 „ men haud exiguam sacræ Theologiæ, & Canonum scientiam  
 „ requirunt ) ab extremis, quæ semper vitiosa sunt, longe se  
 „ abstineant.

## §. III.

*Quinam ad has dirimendas controversias idonei sint: Qua via potissimum evangelicæ moralis studium comparandum: A Laicis ne, an a Religiosis viris petenda sint de rebus Theologicis decisiones.*

I. Scite Pontifex Summus admonet, non exiguam sacræ Theologiæ, & Canonum scientiam requiri ad quæstiones de usuris resolvendas. Sed in hoc difficultatis vertitur cardo, quid Sapientiæ, quid sacræ Theologiæ nomine intelligendum sit: quinam ii sint, qui huic sacræ interpretandæ Sapientiæ apti inveniantur, & quibusnam prærogativis præditi sint oporteat, qui hoc ingredi Sacrarium, hæcque interpretari arcana velint. Laici ne, an Deo sacrati viri? Quemadmodum vestis, color, figura, & cætera signa animum haud efficiunt meliorem, ita nec ad scientias divinas comparandas habiliorum constituunt, Christianorum nemini negatum absolute est, sacras Litteras, seu divinam Theologiam interpretari, disputare, atque commentarios in eandem edere. Absit ergo, ut religiosi viri jus divinæ interpretandæ Theologiæ ita asseramus, ut laicos exclusos absolute velimus, quos non excludit Ecclesia. Quia omnibus indiscriminatim illud concedimus, dummodo iis instructi sint dotibus, quæ necessario ad tantum obsequium munus requiruntur. Quænam hæc? Audiant primum vel ipsum Ethicæ Aristotelem lib. 1. Eth. lect. 3.

*Amplius autem passionum sequutor existens, inaniter audiet, & inutiliter, quia finis est non cognitio, sed actus. Differt autem nihil, juvenis secundum ætatem, aut secundum morem juvenilis. Non enim a tempore definito, sed propter secundum passiones vivere, & persequi singula. Talibus enim inutilis cognitio fit. Audiant sanctum Thomam Aquinatem hunc textum interpretantem: Considerandum est, quod scientia moralis docet homines sequi rationem, & discedere ab his, ad quæ passiones animæ inclinant; quæ sunt concupiscentia, ira, & similia. Dicit ergo (Aristoteles) quod ille, qui est sectator passionum, inaniter, idest sine aliqua efficacia audiet hanc scientiam, & inutiliter, idest absque consecutione debiti finis. Finis enim hujus scientiæ non est sola cognitio, ad quam forte pervenire possent passionum sectatores; sed finis hujus scientiæ est actus humanus, sicut & omnium scientiarum practicarum. Ad actus autem virtuosos non perveniunt qui passiones sectantur. Et sic nihil differt quantum ad hoc, an auditor hujus scientiæ sit juvenis ætate, vel juvenis moribus, idest passionum sectator. Quod si hæc vel in ipso auditore, quid in Doctore moralis scientiæ requiret Aristoteles? Et si ad ipsam naturalis juris Ethicæ comparandam passionum victoria, morum integritas necessaria est, quid, ambo te, de altissimæ Christianæ Ethicæ scientia dicendum?*

II. Verum, Aristotele misso, Paulum denonantem audiant ad Cor. 1. vers. 19. *Perdam sapientiam Sapientium, & prudentiam prudentium reprobo. Ubi Sapiens? Ubi Scriba? Ubi conquistator hujus*

M

see

*seculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Mentē sua vetera Sapientum monumenta revelant mundi homines. Spectent Socratem, Platonem, Aristotelem, aliosque innumeros de naturali Theologia: Xenophontem, Tucididem, Sallustium, Livium, Cæsarem de historia: Demosthenem, Tullium de eloquentia: & ut de nostris tum antiquis, tum recentioribus quidquam dicam, Tertullianum, Origenem, Bernardum, Thomam, aliosque de sacris Litteris scribentes. Quortum hæc? Ut oraculum Pauli intelligas: Perdam sapientiam Sapientium: ut videlicet tibi compertum sit, vana esse omnia, si Christi scientia desit. Heinc etiam colligas velim quanti Deus hanc mundi scientiam facit, quam adeo larga manu inimicis suis donavit. In Christiana Schola misera vetula apprime callens articulos Symboli, Platone, & Aristotele sapientior est.*

III. Inepta hæc sunt, inquis. De Fidelibus, & Catholicis nunc sermo est. Bene habet. At quemadmodum sola professio monastica sacrarum Litterarum interpretem non efficit: ita sane nec professio Catholica laicum Theologum constituit. Ne itaque pluribus te detineam, en viam planissimam scientiæ Theologiæ Christianæ comparandæ, & aliis tradendæ. Juges preces, jejunia, carnis conflictatio, temporalium negotiorum abdicatio, animi demissio, humilitas spiritus, mentis docilitas: Pastoribus, quos Deus constituit regere Ecclesiam suam, obedientia; facilisque assensus eorum doctrinis, & sermonibus, Crucis denique Christi meditatio. Qui hæc possident, sint laici, sint Sacerdotes, sacræ Evangelicæ Theologiæ studere, eam interpretari, aliisque tradere valent; consultis tamen in antecessum Scripturis, Patribus, Conciliis, cæterisque sacræ Scientiæ documentis, nec non Doctoribus sapientia, ac sanctitate præstantibus. Quo longius ab his absunt, eo in Theologia Christi hebetiores, eo ad hanc sapientiam absconditam, in mysterio ineptiores homines sunt. Sacer-

dotibus quodammodo studium Christianæ Theologiæ idcirco vindicatur, quod a mundi curis avulsi sint, quod vinculo propriæ professionis, precibus, jejuniis, obedientiæ, animi corporisque castitati, & cæteris virtutibus, quæ ad sapientiam evangelicam comparandam viam sternunt, ornati reputantur, & vi professionis esse tales debent. Cæterum, si his carent dotibus, Theologiæ Christianæ tradendæ minus idonei sunt, tamen ingenio, & eruditione abundant, & sacram vestem induunt. Contra, si laicorum quispiam revera his virtutibus abundantius fulgeat, præstantior Theologus erit religiosus viris.

IV. At in medium parumper veniat Hieronymus, qui lib. 2. Epist. ad Paulinum Epist. 1. consueta sua vehementi oratione in sui temporis laicos invehitur, qui vanitatis vento inflati, æstroque superbiæ perciti adversus Episcopos, Clerum, sanctosque Doctores interpretandæ divinæ Scripturæ jus sibi arrogabant, peritiamque jactabant. Altius rem arcessit Doctor sanctus: illum sequamur, debitum ingerentem interrogandi Sacerdotes de Lege. „ Aggæus „ Propheta, immo per Aggæum Do- „ minus, Interroga, ait, Sacerdotes le- „ gem. Intantum Sacerdotis officium „ est, interrogatum respondere de le- „ ge. Et in Deuteronomio legimus: „ Interroga Patrem tuum & annuntiabit „ tibi. Pharisei elato supercilio mirantur in Petro, in Joanne, atque in ipso Christo scientiam, quam non didicerant. Duodecim annos Salvator natus senes legis quæstiones docet. Nisi forte, pergit Hieronymus, rusticum Petrum, rusticum dicimus Joannem, quorum uterque dicere poterat: & si imperitus sermone, non tamen scientia. 2. Cor. 11. Joannes rusticus, piscator indoctus? Et unde vox illa obsecro: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum? ... Hoc doctus Plato nescivit. Hoc Demosthenes eloquens ignoravit. Lex Dei spiritualis: Moralis Christi Theologica humilitate concepta, paupertate parta,

tor-

tormentis, & sanguine alta, elatum fastidit supercilium, tumentem spiritum refugit. Contemplandum sui sæculi scitulis proponit Hieronymus Eunuchum sanctum, qui ab extremis mundi finibus venerat ad templum: qui aulam regiam reliquerat, & adeo divinæ legis erat amator, ut etiam in vehiculo sacras Litteras legeret, quin intelligeret. Sanctiores ne nos, aut studiosiores Eunucho isto? Nulla fere sine magistro ars. Tandem concludit Doctor sanctus: *Sola Scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vindicant. Scribimus indocti, doctique poemata passim. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc Sophista verbosus, hanc universi presunt, lacerant, docent, antequam discant. Alii adducto supercilio grandia verba trutinantes inter mulierculas de sacris Litteris philosophantur. Quid, clamat sanctus Gregorius Papa? Altissimam CHRISTI JESU Theologiam, quæ jubet cohibendam cupiditatem omnium malorum radicem, divitiarum contempionem, detestandam ambitionem, luxum, fastumque: quæ nos possidere divitias vult, tamquam non possidentes, quæ inhiare lucro nos prohibet: hanc, inquam, divinam Theologiam ille ne docebunt, qui tantum absunt ab his virtutibus, quantum accedunt oppositis vitiis? qui jura scientiarum sibi vindicantes passim cæteris Antiquioribus improperant imperitiam, oſcitantiam, illosque ineruditos, atque ignorantes evulgant, ut soli emineant, ut soli sapere videantur? Audiamus Pontificem sanctum. *Communem sententiam habere refugiunt, ne cæteris æquales æstimentur, & quædam nova semper requirunt: quæ dum alii negant apud imperitorum mentes, ipsi de scientiæ sn-**

*gularitate gloriantur: Lib. 5. Moral. c. 18.* Plurima in hunc finem adferre ex omnibus Patribus possem, qui uno ore lamentantur, Christianam Theologiam ab illis tractandam suscipi, qui Paganorum Theatra cum Christi Templis, qui augendarum divitiarum æstum, cum paupertatis evangelicæ spiritu confociare haud quaquam erubescunt. Sed nunc prætereo hæc omnia, plura dicturus in tempore. Interim omnibus servandum recordor Sapientissimi Pontificis nostri BENEDICTI XIV. documentum; ut scilicet in Controversiis de usuris ab illis, qui doctrinæ, & virtutis gloria supra cæteros efferuntur, consilium exposcant. Aliud quoque non minus saluberrimum ejusdem monitum inculco; videlicet, ut ab extremis, quæ semper vitiosa sunt, longe se abstineant. De hoc intra.

V. Audio adversus me clamantes omnes: Tu ne Christianæ Theologiæ tradendæ idoneus Magister? Tu ne jejuniis, precibus, cæterisque virtutibus splendes, quibus Evangelii præco, morum doctor fulgere debet? Tantum abest, ut has me habere virtutes existimem, quin, ut S. Bernardus loquitur, de illis potius Monachis unum me esse scio, qui dicunt, & non faciunt. Vereor, ne Deus mihi quoque improperet: *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? At istius imbecillitatis meæ conscius, ne alios deciperem, non memetipsum secutus sum, non cerebrum, non ingenium meum, quod sentio quam sit exiguum; sed sanctos illos Viros, qui non minus sanctitatis, quam doctrinæ gloria fulgent, juxta monitum Pontificis nostri Summi BENEDICTI XIV.*

## CAPUT V.

## TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

„ Sed illud diligenter animadvertendum est, falso sibi quemquam, &  
 „ non nisi temere persuasurum, reperiri SEMPER, ac præsto  
 „ ubique esse, vel una cum mutuo titulos alios legitimos, VEL  
 „ SECLUSO ETIAM MUTUO, CONTRACTUS ALIOS  
 „ JUSTOS, quorum vel Titulorum, vel Contractuum præsi-  
 „ dio, QUOTIESCUMQUE pecunia, frumentum, aliudve  
 „ id generis altericuiusque creditur, toties semper liceat au-  
 „ ctarium moderatum ultra sortem integram, salvamque reci-  
 „ pere. Ita si quis senserit, non modo divinis documentis, &  
 „ Catholicæ Ecclesiæ de usuris iudicio, sed ipsi etiam huma-  
 „ no communi sensui, ac naturali rationi procul dubio adver-  
 „ sabitur. Neminem enim id saltem latere potest, quod mul-  
 „ tis in casibus tenetur homo simplici, ac nudo mutuo alteri  
 „ succurrere, ipso præsertim Christo Domino edocente: *Volenti  
 „ mutuari a te, ne avertaris*: & quod similiter multis in  
 „ circumstantiis, præter unum mutuum, alteri nulli vero,  
 „ iustoque contractui locus esse possit. Quisquis igitur suæ con-  
 „ scientiæ consultum velit, inquiret prius diligenter, oportet,  
 „ vere ne cum mutuo iustus alius titulus, vere ne iustus alter  
 „ a mutuo contractus occurrat, quorum beneficio, quod quæ-  
 „ rit lucrum, omnis labis experts, & immune reddatur.

## §. I.

STATUS SECUNDÆ PARTIS  
CONTROVERSIAE APERITUR.

Duo gravissima capita Pontifex Summus  
decernit, firmatque in descripto Textu.  
Præceptum mutui in memoriam revo-  
catur.

I. UT pleno in lumine secundam  
partem istius controversiæ po-  
nam, duo puncta gravissima, quæ per-  
spicue Pontifex Summus definit, atque  
confirmat, oculis omnium subijcere hoc

loco existimavi. Primum est, non sem-  
per cum mutuo legitimos titulos oc-  
currere, vi quorum lucrum ex pecu-  
nia mutuatitia licitum sit. Alterum,  
neque contractus a mutuo distinctos,  
& in eodem mutuo veluti implicitos,  
semper præsto esse, quotiescumque al-  
teri pecunia creditur, ut inde iustum  
colligi lucrum possit. Duos OPPOSITOS  
ERRORES damnat Pontifex Sum-  
mus, inquit: *FALSO SIBI quemquam,  
& non nisi temere persuasurum, reperiri  
SEMPER, ac præsto ubique esse, vel una  
cum mutuo titulos alios legitimos, vel se-  
cluso etiam mutuo, contractus alios iustos  
&c.* Declarat hos duos ERRORES &  
divi-

divinis Litteris, & Ecclesiæ iudicio,  
& communi sensui repugnare. Ita si  
quis senserit, non modo divinis documen-  
tis, & Catholicæ Ecclesiæ de usura iudi-  
cio, sed ipsi etiam humano communi sen-  
sui, ac naturali rationi proculdubio ad-  
versabitur. Hæc duo alta mente repo-  
sita maneat, videlicet Tituli, & Con-  
tractus, quos semper occurrere plures  
docent, dum pecunia mutuo creditur,  
ut mox palam faciam. Consideres ve-  
lim *To semper* in quo potissimum vi-  
rus occiditur: quoniam interdum oc-  
currere titulos, aut contractus iustos  
nemo inficiatur. Monet deinceps Pon-  
tifex Summus, mutui præceptum mul-  
tis in casibus urgere, eoque devinctos  
Christianos succurrere indigentibus de-  
bere. *Multis in casibus tenetur homo sim-  
plici, ac nudo mutuo alteri succurrere.*  
Si enim frequenter elemosynæ man-  
datum gravissimum urget, potiori sa-  
ne jure adstringit præceptum mutuan-  
di indigentibus, qui sortem opportu-  
no tempore restituere valent. Addit  
multis in circumstantiis, nulli vero,  
præter unum mutuum, iustoque con-  
tractui locus esse. Tandem concludit,  
quemquam debere suæ conscientiæ con-  
sultare, atque in id animum intende-  
re, num revera in pecuniæ traditio-  
ne, alii tituli vere legitimi, & iusti:  
alii contractus vere iusti, & legitimi  
occurrant; ut inde iustum captare  
lucrum possit. *Inquiret prius diligen-  
ter oportet, vere ne cum mutuo alius  
iustus titulus (puta damnum emergens,  
grave periculum juris) vere ne iustus  
alter a mutuo contractus (v. g. veræ,  
& non fictæ Societatis) occurrat, quo-  
rum beneficio, quod quærit lucrum, om-  
nis labis experts, & immune reddatur.*

## §. II.

Opiniones Causistarum, quæ primo pro-  
scribendo ERRORI de Titulis semper  
cum mutuo occurrentibus, causam dede-  
runt.

I. Quemadmodum cum monstruosas  
Causistarum opiniones in medium af-  
ferimus, continuo clamant illorum de-

sensores, truncatos, adulterosque  
Textus productos esse (quam atrocis-  
simam calumniam toties rejecimus,  
illosque provocamus, ut vel unicum  
dolo malo obtruncatum designent);  
ita, dum proscriptas aliquas a Sede  
Apostolica opiniones nobis manifestan-  
tibus, negant ab aliquo Teologo illas  
tradi, atque defendi, religioni sibi  
minime vertunt, sanctæ Romanæ Ec-  
clesiæ supremum Tribunal deridendum  
hæreticis exhibere; quasi illud aerem  
verberet, fingatque sibi hostes, quos  
feriat, dum Apostolicas Constitutiones  
emittit, quibus falsas doctrinas dam-  
nat. Sic illi suorum Causistarum fa-  
mam in tuto collocare posse putant.  
Porro ne familia obtrudere nobis nunc  
jure valeant, opiniones, seu errores in  
rescripto Pontificio Textu proscriptos,  
transcribere propriis Authorum verbis  
operæ pretium existimavi.

II. Et primum, Liber supplex, quem  
novem Archiepiscopi, & Episcopi His-  
paniarum, obtulerunt Summo Ponti-  
fici Clementi XI. anno 1717. quem-  
que piæ memoriæ Cardinalis Belluga  
præsentavit Innocentio XIII. & tan-  
dem obtulit feliciter Regnanti Pontifici  
Summo BENEDICTO XIV. continet  
CCCXXXIII. propositiones damnan-  
das, quas inter hæc est n. 158. *Etiam  
deficiente titulo lucri cessantis, & damni  
emergentis, pignoribus adhuc pro securitate  
capitalis acceptis, potest exigi lucrum,  
& si ad 7. pro 100. accedat, ex solo ti-  
tulo periculi, & difficultatis (quæ SEM-  
PER ACCIDIT) sortem recuperandi.*

R. P. Martinus Torrecilla in pro-  
pos. damn. tract. 5. conf. 3. pag. 277.  
hæc addit ex lingua Hispanica versa:  
*Si dixeris, te non habere SEMPER dictos  
titulos, responderi potest, quod quamvis  
non habeas semper titulos lucri cessantis,  
& damni emergentis, habeas SEMPER  
pericula recuperandæ sortis, juxta Silve-  
strum verb. Negot. quæst. 4. Nullus potest  
esse ita securus, quin possit aliquod inter-  
venire periculum, vel saltem aliqua diffi-  
cultas, vel labor in re habenda.*

III. P. Thomas Tamburinus plures  
titulos semper occurrere inquit, & de  
more

more valde lepide opiniunculas suas exhibet. Quod de periculo scripsit, supra retuli. Inquit enim, quod iustus titulus lucrandi sit *angor*, & *molestia*, quæ mutuans passurus est, toto v. g. anno, propter timorem amittendi sortem, quæque subire ipse non obligatur sine pretio. At hæc jam in pusillo adsunt: ergo &c. lib. 8. in Decal. tract. 3. cap. 8. quæst. 4. num. 1. In avaris hominibus semper hæc adesse, res evidens est. Semper ergo illis adest iustus lucrandi titulus una cum mutuo.

IV. Alium titulum assignat idem P. Tamburinus loc. cit. §. 3. num. 11. ubi describit condiciones lucri cessantis, & has proponit quæstiunculas. *Quid si hanc (pecuniam) destinasti negotiationi, & aliam otiosam habes domi? Respondeo tunc potes exigere lucrum cessans.* Sic Arag.... Valent.... quia de facto hæc fructificatura erat, non alia. *Quid, si ita dispositus sis? Vellem (& utique possem) meam pecuniam negotiari, nisi essent qui mutuum peterent, seu, quod in idem recidit: Nolo applicare, quamvis utique possem, hanc pecuniam ad negotiationem, quia volo mutuari illam FORTE petituris.* Resp. quamvis per hanc conditionatam voluntatem non videatur pecunia designata negotiis, sed destinanda, unde videatur tunc non posse accipi lucrum supra sortem: tamen adhuc posse DOCEO cum Lessio, & Maldero apud de Lugo, quando lucrum fuisset de proximo, & non solum remote habendum. Id addo, quia remota lucra non ponuntur in consideratione. Vide Bossium... Licet non negem esse periculum palliandi usuram. Ratio autem quod tunc possis, est, quia vere tibi cessat lucrum ratione mutui.

V. Quam sit hæc doctrina falsa, laxa, & usurarum fecunda, nemo non videt. Agnoscit ipse Tamburinus usuræ periculum. *Licet non negem*, inquit, *esse periculum palliandi usuram.* Periculum agnoscis? Et evitandum non indicas, non suades, non jubes? Hæc cine doctrina evangelica? Error gravissimus hujus doctrinæ est, quod Christianus animum habeat reliquendi negotiationem: cur? Ut cum lucro mu-

tuetur forte petituris. Animus ipse apertissime hic sceneratius est. At videamus quid Lugo, & Lessius citati doceant.

VI. P. Leonardus Lessius lib. 2. cap. 19. dub. 11. num. 90. tres modos, quibus esse destinata negotiationi pecunia potest, enumerat, & tertium sic proponit: *Tertius modus est. Si pecuniam destinavim negotiationi, non absolute, sed dumtaxat sub conditione; ut si dicam: Vellem negotiari, nisi multi mutuum peterent, de quo modo est difficultas. Quidam enim doctissimi Viri putant, etiam tunc posse aliquid exigi ratione lucri cessantis.*

VII. Quinque rationes in hujus opinionis confirmationem fufe explicat. Post sic concludit num. 95. *Ob has rationes sententia mihi olim visa est Probabilis; & etiam nunc videtur, præsertim speculative considerata, modo illa non exigat amplius, quam spes illa lucri, deducta laborum, & expensarum estimatione, valebat; & semper retineat animum negotiandi illa pecunia, si mutuum non peteretur: in praxi tamen ob periculum palliandi usuram, non est facile admittenda: post factum tamen non ausim cogere ad restitutionem.* Hæc sunt moralis Casuistica principia. Laxæ opiniones primum prodeunt probabilitate speculativa induta, timida, & pavida: post, excusso timore, & posita verecundia, intrepidæ dominantur, turba vallatæ Authorum. Quare Tamburinus, ut nuper vidimus, id ipsum absolute propugnat absque timore, quod fatetur & ipse usurarum periculis obnoxium.

VIII. Cardinalis de Lugo tom. 2. de just. disp. 25. sect. 6. quæst. 1. num. 91. rescribit hunc casum P. Lessii, inquit: *Lessius num. 88. & sequentibus, hunc casum dividit in alios duos. Primum est &c. Relatis duobus casibus num. 92. subdit: Claritatis gratia possumus primum casum in alios duos subdividere.* Post descriptos casus, ut evincat tum in primo, tum in secundo reperiri titulum lucri cessantis, hanc doctrinam, sane præter modum mirificam, exhibet num. 93.

IX. Unde

IX. Unde ad rationem dubitandi dicere possumus, etiam tunc mutuum esse causam lucri cessantis, quod dupliciter explicari potest.

PRIMO in genere causæ finalis: ideo enim a negotiatione, & lucro præsentis cessas, ut postea possis mihi mutuare: nec videtur requiri, quod mutuum sit causa efficiens, & antecedens PRIORITATE REALI cessationem lucri; sed videtur sufficere, quod in genere causæ finalis sit causa cessandi a lucro: sicut etiam NOSTRA SALUS, ET JUSTIFICATIO dicitur Passionis Christi, quia fuit finis, propter quem Christus mortuus est: nec minus gratus esse debeo ei, qui damnum patitur, ut me liberet, quam si, me petente, ut patiar, licet in primo casu mea liberatio sit causa finalis, & in secundo meæ preces sint causa moralis efficiens.

X. Non alio fine hanc doctrinam rescripti, nisi ut semper magis eluceat, quam fecunda, quam in exhausta rerum mirabilium sit Casuistica fodina. Cæterum si audire velis quid super casu proposito sentiat de Lugo, audi quæ subdit ibidem num. 94. *His suppositis, circa utramque partem prioris casus dicendum videtur, consequenter in posteriori etiam posse exigere lucrum cessans, quando nullus in particulari prævidetur mutuum petiturus, sed aliqui in communi, in quorum gratiam pecuniam a negotiatione subtraxisti, prout absolute, & sine scrupulo concedit Malderus.... Ratio ex dictis colligi potest, quia inter hunc secundum casum, & primum ea sola differentia esse videtur, quod in primo ego in particulari prævisus fuerim mutuum petiturus; in secundo autem non sum ego prævisus in particulari, sed aliqui in confuso, & indeterminate. Hoc autem ad propositum parum videtur referre.... Quod explicari potest exemplo supra adducto PASSIONIS CHRISTI: licet enim Christus ante voluntatem patiendi non prævidere determinate peccatum futurum hujus hominis, sed aliquos homines mortaliter peccaturos, ad quorum justificationem voluit sanguinis pretium persolvere; adhuc vere dicitur, peccatum hujus hominis fuisse causa, ut pateretur. Ratio autem*

est, quia sub illa distinctione cognoscuntur omnia futura disjunctim, & ita volendo mori pro his liberandis, qui peccaturi erant, voluit mori pro hoc, si hic de facto peccat. Si ergo vis reservare pecuniam pro illo, qui petiturus est, quicumque ille sit, prævidens aliquem petiturum; pro illo voluisti de facto reservare quamvis indeterminate cognito.

XI. Lege ipsum, in quo plura invenies spongia digna. Nolui rescribere casus, ut prolixitatem vitarem, quod ideo dico, ne calumnientur Probabilitatæ minus sincere adductum esse textum, quem, ut dixi, rescripti, ut mirificam illam paritatem Passionis JESU CHRISTI patefacerem: tum etiam, ut innotesceret, opinionem approbatam a P. Lessio solum probabilitate speculativa, & cum aliquo pavore, a PP. Tamburino, & De Lugo adoptatam, & divulgatam esse absque omni scrupulo. De hoc etiam te admonere interest, Cardinalem de Lugo, Theologum utique in Scholasticis contentationibus acutum, in Christiana morali valde laxiores opiniones passim docere. Quod ideo dico, ne aut Purpuræ splendor, aut voluminum multitudo tibi quoque, non fecus ac imperitis multis usuvenit, fucum faciat. Improperabunt, inclamabunt adversus me Probabilitatarum aliqui. At nihil facimus clamores istos, cum unice nobis cordi sit ab errandi periculo fideles subducere. In quantumque partem Adversarii hæc interpretaturi sint, perinde nobis est. Cæterum modestiam nostram commendare jure deberent, quod plura silentio premimus, justisque animadversionibus destitutam relinquimus prodigiosam illam similitudinem PASSIONIS JESU CHRISTI, & salutis æternæ humani generis, cum avaritiæ, & usurarum fraudibus. Hæc sola referunt Moralis probabilistæ imaginem.

XII. Alium P. Lessius titulum lucrandi assignat, qui est ipsi mutuo intimus, & ut in hac Epistola Pontificia dicitur, *innatus, & intrinsecus.* Quinam hic? *Carentia pecuniæ.* Quid magis mutuo innatum, quam pecuniæ privatio, si illius

si illius consistere natura nequit sine pecuniæ privatione? Quam opinionem probare nititur pluribus rationibus. Unam rescribo. Inquit ergo lib. 2. cap. 20. dub. 14. num. 123. Tertio probatur hæc sententia: quia sicut aliis rebus, & oneribus potest aliquod pretium imponi; ita etiam oneri carenti sua pecunia tanto vel tanto tempore. Cum enim pecunia sit instrumentum negotiandi, & privare se instrumentum suæ artis sit pecunia (pretio) estimabile: cur non etiam mercatores poterunt carentiæ pecuniæ pretium aliquod communi consensu imponere, præsertim si ratio boni communis id postulet. Post multa concludit: Hæc rationes videri possunt alicui probabiles, potissimum tertia; & juxta eas consuetudo Bursæ Antuerpiensis excusabilis. Subdit tamen nu. 27. Nihilominus sentio non esse tam laxas habenas mercatoribus dandas, nec illis concedendum, ut quidquam supra sortem exigant, si illis ex carentiâ pecuniæ nullum lucrum cessat, nullum periculum impendit, nullum incommodum metuitur. Primo quia sententia illa videtur nova, nec illam apud Authores reperio: ac proinde in re morali tanti momenti, NON FACILE ADMITTENDA.

XIII. En confirmatam Casuistica propagationis originem. Novæ invehuntur laxæ opiniones. Ratiunculæ, & sophismata excogitantur ad eandem confirmandas. Ut quoquomodo sibi Authores caveant, aliqua adjicitur exceptio. Laxam, & novam judicat P. Lessius hanc opinionem. Quid inde? Improbanda? Absit. Non est facile admittenda. Temporis beneficio novitatem exiit. Turbam Casuistarum nanciscitur, & tum facile immo facillime admittenda erit. Quid deridendas, inquit, præbes Theologorum opiniones? Ut animas Christi sanguine redemptas a damnatione, quoad valeo, præservem. Opinio hæc, quam refert P. Lessius reipsa damnata fuit ab Innocentio XI. n. 41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura

excusari. Opinionem omnino similem damnaverat prius Alexander VII. num. 42., quam P. Dominicus Viva attribuit Dianæ, Medinæ, Serræ, Bassæ, aliisque, & hæc adjicit num. 3. Communissima tamen opinio negat cum Lessio, lib. 2. cap. 20. dub. 14. Lugo disp. 25. se. 3. Lessius hoc ipso loco citato a P. Viva, testatur, hanc opinionem damnatam esse novam, & a se inventam, & non esse facile admittendam. Quare narratio P. Viva non videtur sincera, & potest esse errandi occasio, cum dicat, sententiam P. Lessii esse communissimam. Sed hæc obiter. Familiaria quippe ista sunt Patri Viva.

XIV. Textus rescripsi Authorum, qui e vivis decesserunt. Nunc aliquos exscribam eorum, qui adhuc in vivis sunt. Ut autem & invidiam devitem, & obsequii, modestiæque in eos testimonia perhibeam, lubens ab iis nominandis absteinebo.

XV. Unus ex Italis Scriptoribus hæc scripsit. Che poi sia facile il trovare la probabilità del lucro cessante in OGNI CASO, che si voglia farsene argomento, lo mostreremo nella quarta osservazione. Hæc verba: In omni casu, idem valent ac semper.

XVI. Subdit loco a se citato. Se si avesse avuto un milione SEMPRE si può dire, che era probabile l'impiegarlo con guadagno: nè mai veramente il danajo è ozioso per gli Uomini di giudizio.

XVII. Italus Interpres Broedersen hæc docet lib. 3. Dell'impiego del danaro, cap. 3. pag. 255. Ma il fatto sta, che ne' contratti all'una, e all'altra parte giovevoli, de' quali si tratta, non uno, ma più titoli, e tutti giusti, concorrono SEMPRE: il che facilmente si può dimostrare.

XVIII. Subdit: Chi ha somme da investire, è SEMPRE un mercante in fieri. Erronea doctrina affingitur S. Antonino. Chi mai dirà che la privazione non sia un danno? Chi dirà che sia il medesimo se io tengo in borsa buone somme, o se non tengo? Doctrina falsa impingitur ibi S. Thomæ, Non è dunque MAI senza discapito, quando si dà fuori di mano il secondo sangue.

XIX.

XIX. Ecco però (prosegue alla pag. 263.) che se altri se ne priva per dare ad uso d'altri il danaro, nol può fare senza danno, e però senz'acquistar giusto titolo di compenso.... Diranno, che dunque non ci sarà più usura. Al che taluno risponderebbe, che secondo i principj loro.... questo grande inconveniente temer potrebbe; poiché del solo titolo comunemente si piglia cura, e senza esso prender uno, e prender dieci si fa ugualmente mortal peccato: e con esso tutto crede qualcuno, che vada bene: ma non già per la nostra, secondo la quale il titolo è il MENO, che per assicurare la coscienza ricerchisi.

XX. Plurimos alios textus omitto brevitate gratia. Ex his, quos adduxi, colligere facile quisque potest, novissimos usurarum Patronos, modo a Calvino, a Molinæo, cæterisque eorum affectis: modo a laxioribus quibusdam Casuistis argumenta mutuari, ut una, aut altera via moderatas usuras defendere valeant.

§. III.

## CONSECTARIUM.

In quo concluditur, BENEDICTUM XIV. prudentissimæ, & gravi necessitate urgente damnasse recensitos ERRORES.

Evidenter ex iis, quæ dicta sunt, demonstratum remanet, ERRORES perniciosissimos, proscriptos a Summo Pontifice BENEDICTO XIV., passim reperiri in pluribus Moralistarum libris: videlicet reperiri semper, ac præsto ubique esse una cum mutuo titulos alios legitimos, quorum præsidio quotiescumque pecunia altericunq; creditur, toties semper liceat auctarium moderatum, ultra sortem integram, salvamque recipere. Tituli, quos descripsimus, sunt periculum recuperandæ fortis, mutuo incertum. Alter titulus lucri cessantis, vel damni emergentis: qui titulus aut in genere causæ efficientis, aut in genere causæ finalis, inquit acutissimus Cardinalis de Lugo, semper adest, dummodo negotiari velis, idest lucrari.

Privatio tandem pecuniæ mutuo innata est; adeoque semper cum mutuo occurrit. ERRORES istos Pontifex Sanctissimus improbat, utpote divinis Litteris, Ecclesiæ judicio, & communi sensui repugnantes. Colliges hinc quam prudenter, & quanta necessitate urgente, Sapientissimus Pontifex proseripserit recensitos errores, qui sub pallio probabilitatis usuræ virus quaqua-versum effundebant.

§. IV.

Varia contractuum formula, qua causam dedere alteri gravissimo ERRORI proseribendo; videlicet mutuum semper comitari contractus aliquos, quorum præsidio lucrum justum evadit.

I. Præter titulos mutui intimos, contractus quoque a mutui natura fictæ, non vere distinctos, qui mutuum semper comitantur, excogitantur Recentiores, quos ingeniosos Theologos, vocat P. Thomas Tamburinus lib. 9. tract. 8. cap. 5. §. 2. Hi autem sunt: census personalis utrimque redimibilis, contractus innominati, & impliciti, qui sola pia, bonaque intentione lucrandi omnimodo meliori, quo potest, peraguntur. Ipsorum contractuum præsidio, ut ipsi dicunt, lucrum moderatum, perceptum ex mutuo, honestum evadit. Ut tota controversia pleno in lumine constituat, ipsi contractus rescribendi sunt.

Contractus forma, qui controversiæ causam dedit.

„ Paulus notabilem pecuniæ summam tradit Sempronio, non quia eget, sed quod rem suam familiarem augere cupiens, pecuniam præfatam vel quæstuosis negotiis, vel prædiis, domibusve emendis, aut cuilibet alii, qui sibi placuerit, usui, unde proventus colligere valeat, impensurus sit, eo pacto, ut salva semper sorte, Sempronius solvat Paulo annum moderatum lucrum, donec sortem præstituto inter utrosque tempore restituat.

N

II. Istius